



I. Abtheilung: Abhandlungen.

De Causa Certitudinis.

Scriptis Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

Dissertatio.

a) Per exercitium facultatum cognoscitivarum, sensitivae nempe et intellectivae, si nullum desideretur ex necessariis requisitis ut unio potentiae cum objecto cognoscibili rite efficiatur, virtusque intellectiva eidem objecto applicetur, atque in iis quorum intellectio ratiocinium exposcit, mens in suo discursu regulas Dialecticae servet atque proficiscatur a veris, infallibiliter homo assequitur veritatem, quatenus certus est talem in se esse rem aliquam qualem ipse in mente concepit. (De veraci certitudine loquimur, quae a sola cognitione pendet, non de fallaci, quae sicut omnis error, pendet a voluntate.) Et sane potentiae seu vires quibus natura quaevis donata est, proprium objectum suum, per se seu spectata virtute sua, necessario attingunt, alioquin naturae defectio in ipsum naturae redundaret Auctorem. Deficiens autem revera esset humana natura, nec satis Deus homini providisset, si facultates quibus hic instructus est, aptae non essent ad veritatem assequendam, seu, quod idem est, ad gignendam certitudinem; homo enim non caeco instinctu, sed rationis ductu veritatem cognoscentis tendit in finem suum, et operationes suas moderatur in ordine ad illum. Praeterea evidentia veritatis in nobis manifestatur per seipsam; certitudo autem eam naturaliter consequens est factum conscientiae, quod nemo, nisi desipiat, potest vocare in dubium. Existit ergo in nobis certitudo, de qua modo disputandum est, cujus causam dumtaxat considerabimus.

b) Certitudinis causam in evidentia cognitionis intelligimus esse reponendam; haec autem opinio non omnibus arridet. Balmes

e. g. distinguens inter objectum conscientiae psychologicae, id nempe quod subjectum intra se sentit vel experitur, tamquam factum duntaxat vel quoad existentiam consideratum, et alia omnia quae homo cognoscit, contendit certitudinem quoad facta interna solius conscientiae deberi testimonio, seclusa scilicet evidentia; in iis autem quae conscientiae ambitu non continentur, certitudinem esse effectum cuiusdam instinctus intellectualis, cuiusdam vis aut impulsus naturae cui resisti nequit. Et ut appareat hanc esse opinionem laudati auctoris, ecce ipsa ejus verba, in primis relate ad conscientiam, quae ex hispano in latinum sermonem convertimus, quod et alias faciemus quoties in hac disputatione verba ejusdem auctoris citanda sint: „Medium quod conscientiae appellavi, id est, sensus intimus ejus quod accidit in nobis, ejus quod experimur, independens est a caeteris omnibus. Pereat evidentia, pereat instinctus intellectualis; conscientia manet. Ad experiendum, et ad certo sciendum nos experiri, et id quod experimur, sufficit nobis experientia ipsa. Si de principio contradictionis dubitari supponatur, adhuc firma erit certitudo quod male nos habemus quando male nos habemus, quod gaudemus quando gaudemus, quod cogitamus quum cogitamus. Praesentia actus aut impressionis in intimo spiritu nostro, intima est, immediata, atque ineluctabiliter efficax ad omne dubium a nobis abigendum.“ (Filos. fund. lib. 1, cap. 15, n. 148.) Quod autem respectu eorum quae ad objectum conscientiae non pertinent, debetur certitudo, juxta eundem auctorem, cuidam instinctui intellectuali, patet per sequentes sententias ejusdem libri. Num. 147 haec leguntur: „Media quibus percipimus veritatem, diversorum ordinum existunt; unde fit ut ipsae etiam veritates perceptae ad diversos ordines pertineant, parallelos, ut ita dicam, respectivis mediis perceptionis. — Conscientia, evidentia, instinctus intellectualis vel sensus communis, ecce tria media: veritates sensus intimi, veritates necessariae, veritates sensus communis, ecce quae dictis mediis respondent.“ Tria igitur distinguit media percipiendae veritatis pro tribus generibus veritatum quas recenset; sed efficaciam efficiendae certitudinis in duobus tantum agnoscit, quoniam evidentia iudicio ejus hanc virtutem non habet, ut videre est cap. 23, n. 232, ubi haec scribit: „Conscientia testatur nobis videre nos ideam unius rei in alterius idea contentam; in hoc specie tenus tantum est veritas: testimonium istud exprimi posset per hanc formulam: sic mihi videtur, significando phaenomenon pure subjectivum. Huic autem phaenomeno instinctus quidam intellectualis adjungitur, impulsus naturae cui resisti nequit, quo inclinamur ad assentiendum veritati relationis“ (inter praedicatum et subjectum) „non modo quatenus haec in nobis existit, sed etiam quatenus est extra nos in ordine pure objectivo sive reali-

tatis sive possibilitatis. Ita explicatur quomodo evidentia in conscientia fundatur, non quod cum illa identificetur, sed quatenus ipsa innititur tamquam facto a quo praescindi nequit; aliquid autem amplius involvens, instinctum nempe intellectualem, quo ad credendum verum id quod est evidens, inclinamur.“ Superest nunc ut ostendamus instinctum intellectualem esse juxta Balnes causam certitudinis in cognitione veritatum illarum quas ipse sensus communis appellat, seu earum omnium quae, ut ipse ait, non sunt neque evidendiae neque conscientiae. In citato cap. 15, ubi distinguit tria illa genera veritatum atque tria media illas percipiendi, postquam explicavit ea quae concernunt evidentiam atque conscientiam, tractat de diversis speciebus veritatum quas in memorata distinctione appellat sensus communis, et ait: (n. 155.) „Instinctum intellectualem nuncupavi impulsus istum certitudinis nostrae efficacem in multis casibus absque testimonii sive conscientiae sive evidendiae interventu. Si monstretur alicui scopus in quem collimet, cujus diameter mensurae pollicis unciam non superet, et mox calabricentur oculi ejus, et postquam in casum sit iterum atque iterum circumactus, ponatur arcus in manu ejus ad sagittandum, proque certo asseratur sagittam perexiguo scopo praecise defixum iri; respondebit hoc esse impossibile, neque tale deliramentum aliquis illi persuadere sufficiet. Et qua de causa? innititurne testimonio conscientiae? nequaquam, agitur enim de objectis externis. An vero evidendiae? etiam non, nam hujus objectum sunt res necessariae, nulla autem est intrinseca impossibilitas in eo quod sagitta scopum attingat. Quodnam igitur est fundamentum intimae persuasionis pro sententia negativa? Si supponamus hominem istum nihil scire de theoriis probabilitatum et combinationum, scientiae hujus vel ipsam ignorare existentiam, nec de talibus umquam cogitasse, non erit minor certitudo ejus, quamvis e nullius generis calculo poterit eam deducere: aequalis erit omnibus circumstantibus, rudibus aut cultis, ignaris aut doctis: omnes repente, quin opus sit reflexione, dicent aut secum putabunt: hoc est impossibile, hoc non eveniet. Quo iterum dico, nititur fundamento tam firma eorum persuasio? Sine dubio, cum neque ex conscientia oriatur, neque ex evidendia immediata aut mediata, aliud esse nequit principium ejus quam interior illa vis quam instinctum intellectualem appello, quamque indifferens mihi est sensus communis nomine aut alio quolibet designari, dummodo rei agnoscat existentia. Donum hoc pretiosum Creator nobis largitus est quo rationabiles nos faceret jam antequam ratiocinemur, atque ut vitae nostrae ordinem prudenter dirigamus, cum tempus non suppetit ad expendendas rationes prudentiae.“ Et n. 156 prosequitur: „Instinctus iste intellectualis pro plurimis valet objectis ordinis longe diversi; est, ut ita dicam, rationis dux

et praesidium: dux quidem, quoniam illi praeit monstrans viam veram per quam incedat, antequam ipsa agere incipiat; praesidium vero, quatenus per eum ratio a propriis liberatur cavillationibus, sensus communis virtute sophisma dissipante.“ Et n. 157: „Testimonium auctoritatis humanae, individuo ac societati adeo necessarium, medio instinctu quodam intellectuali nostrum extorquet assensum. Homo credit homini, credit societati antequam de motivis cogitet fidei suae; pauci ea expendunt, et fides nihilominus est universalis. — Non hic vertitur utrum instinctu intellectuali quandoque decipiamur, quibus in casibus, et qua de causa; solam ejus nunc intendo constabilire existentiam: quoad errores autem in quos nos inducit, satis habeo animadvertere quod in ente fragili qualis est homo, frequentissime regula flectitur; et sicut possibile non est bonum sine mali admixtione in eo invenire, ita neque verum sine admixtione erroris.“ Et n. 158: „Sensationibus realitatem respondere objectivam, si res diligenter consideretur, non nisi vi cujusdam instinctus agnoscimus cui resisti nequit. Nihil apud philosophiam certius, nihil evidentius quam omnem sensationem esse aliquid subjectivum, id est, sensationes esse phaenomena immanentia seu quae intra nos sunt et foras non prodeunt; et tamen nihil magis constat quam transitus omnium hominum a subjectivo ad objectivum, ab interno ad externum, a phaenomeno ad realitatem. Quodnam est hujus transitus fundamentum? Cum eminentioribus philosophis tam difficile fuerit pontem, ut ita dicam, invenire qui has duas jungit oppositas ripas; cum aliqui eorum, inquisitionem hujus rei tandem moleste ferentes, absque haesitantia inventionem illam impossibilem dixerint, numquid illud poterit communitas hominum ab ineunte aetate? Planum est causam hujus transitus ex ratiocinio peti non posse, sed necessario ad instinctum naturae recurrendum esse. Existit ergo instinctus qui per se solum certos nos reddit veritatis propositionis cujus demonstratio haud facile assequibilis est perquam reconditae philosophiae. „Ecce ergo lectori est manifestum, per paragraphos quos transcripsimus, conscientiam, juxta opinionem Balmesii, per semetipsam esse fontem certitudinis, independentem scilicet ab evidentiâ et ab instinctu intellectuali; huic autem certitudinem deberi quoad reliqua omnia quae ad conscientiae objectum non pertinent; evidentiâe vero certitudinis efficiendae virtutem in omni casu abnegari. Et ut magis confirmentur quae de laudato auctore asserui, atque uno omnia videantur intuitu, ecce ad pauca per ipsum reductam universam hanc quam versamus materiam: (in fin. lib. 1, n. 337, pag. 225) „Per instinctum intellectualem valorem objectivum ideis tribuere cogimur, quo in casu veritatibus evidentiâe est ille implexus, et in communi sermone cum evidentiâ confunditur. — Quando instinctus in-

intellectualis applicatur objectis non evidentibus, nosque ad assensum inclinatur, vocatur sensus communis. — Per conscientiam et instinctum intellectualem caetera gignuntur criteria. — Criterium evidetiae duo involvit: speciem veritatis (meram apparentiam) in ideis; haec est objectum conscientiae: valorem objectivum earum in ordine realitatis vel possibilitatis; de hoc iudicatur per instinctum intellectualem. — Testimonium quoque sensuum duplici constat elemento: sensatione tamquam pure subjectiva; haec pertinet ad conscientiam: assensu objectivitati sensationis; hic pertinet ad instinctum intellectualem. — Testimonium auctoritatis humanae constat testimonio sensuum, per quod cum proximis nostris communicamus, atque instinctu intellectuali quo ad fidem illi adhibendam inducimur.“

c) Nunc, opinione Balmesii circa certitudinis causas iam exposita, ad argumenta quibus eam tueri nititur, expendenda accedamus. Conscientia iudicio ejus per semetipsam, id est, per se solam est fons certitudinis: quid autem intelligit per conscientiam? ecce quomodo se habet describens eam: „Ad experiendum, et ad certo sciendum nos experiri, et id quod experimur, sufficit nobis experientia ipsa. Si de principio contradictionis dubitari supponatur, adhuc firma erit certitudo quod male nos habemus quando male nos habemus, quod gaudemus quando gaudemus, etc.“ Sic ergo, si dolorem ego sentiens, cogito possibile forsitan esse ut eum sentiam simul et non sentiam, certus tamen ero de sensatione ejus: sed unde eo in casu certitudo nascitur? non ex intellectuali cognitione, nam haec, nutante principio contradictionis, est prorsus nulla: sola ergo superest sensatio ipsa doloris, cui virtutem tribuamus certitudinis efficiendae, et in qua conscientia consistat. Et revera sensatio, ut Balmesio placet, per semetipsam constituit conscientiam quam ille directam appellat, et in qua criterium conscientiae reponit, non secus atque alterius cujuslibet phaenomeni interni experientia; ait enim (cap. 23, n. 235) de conscientia directa: „Per expositionem quae praecedit, possumus praecise determinare valorem et extensionem criterii conscientiae, quod faciam in sequentibus propositionibus, quas, advertat hoc lector, de conscientia directa omnes intellectas volo.“ Quibus verbis manifeste significat, praeterquam quod ex totius argumenti sui serie liquido patet, criterium conscientiae in ea quam ille vocat conscientiam directam, opinione sua positum esse. Quid autem sit, ad mentem suam, conscientia directa, ita declarat: (n. 226) „Conscientia directa est ipsa praesentia phaenomeni ad spiritum, sive hoc sit sensatio, sive idea, sive actus aut impressio quaelibet in ordine intellectuali vel morali . . . Phaenomena ista non sunt modificationes quales fiunt in entibus sensibilitate carentibus; agitur de modificationibus vivis, ut ita dicam, in ente etiam

vivente: in conceptu earum involvitur earum praesentia ad spiritum. — Impossibile est sentire sine experientia sensationis, quoniam sentire et sensationem experiri unum et idem sunt: experientia haec est ipsa phaenomeni praesentia: sensatio experta est sensatio praesens.“ Itaque juxta Balmesii doctrinam conscientia directa (criterium veritatis) est ipsa praesentia phaenomeni ad spiritum; et haec praesentia, quae est ipsa phaenomeni experientia, in ejusdem phaenomeni conceptu involvitur; et consequenter sensatio, in cujus conceptu involvitur sensationis praesentia ad spiritum, sentire enim et sensationem experiri unum et idem sunt, et sensatio experta est sensatio praesens, ipsa per se est testimonium conscientiae directae et criterium veritatis. Hoc autem quis admittat? Numquid belluae, quae vere sentiunt, hanc habent conscientiam directam, criterium veritatis? Numquid veritas cognoscitur per sensum? Nequaquam tale sensit doctissimus et catholicus vir Balmes, qui de societate christiana tam praeclare meritus est. Nihilominus etiam belluis tribuit conscientiam quae non differt a conscientia directa supra descripta; et in hoc certe sibi constat, nam si sensatio ipsa per se est conscientiae testimonium, conscientia brutis est asserenda, quia vere sentiunt; de quibus ipse ait (cap. 15, n. 151) „etiam bruta habere suo modo conscientiam ejus quod intra se experiuntur: nisi merae machinae supponantur, necesse est concedere illis conscientiam, id est, intimam praesentiam sensationum suarum: sine hac ne ipsa quidem sensatio concipitur; certe non sentit quod non sentit se sentire.“ Profecto et bestiae conscientia gaudent, si conscientiae nomine intelligatur intima praesentia sensationis in ordine sensibilitatis, id est, sentire se sentire, seu propriam sensationem sensibiliter percipere; sed numquid talis conscientia est criterium veritatis, fons certitudinis? Certe hoc Balmes non admississet; et nihilominus definiens conscientiam directam, criterium veritatis, nullam causam certitudinis assignat praeter phaenomeni interni experientiam, quae „in ipsius,“ ait, „phaenomeni conceptu involvitur, sive illud sit sensatio, sive idea, etc.;“ unde plane infertur sensationem per seipsam gignere in nobis certitudinem sui. Si autem in nobis, quare non in brutis? Quid est quod ait „etiam bruta habere suo modo conscientiam?“ In quo differunt modus eorum ac noster, nisi in eo quod nos cognoscimus veritatem facti seu phaenomeni interni, bruta autem nonnisi sensibiliter illud percipiunt? Porro hoc certissimum est; et tamen non ita explicat Balmes dictionem suo modo, sed per haec verba, quae leguntur eod. n. 151: „Brutum animal id quod intra se agitur, non considerat; tantummodo experitur illud. Sensationes aliae aliis succedunt in anima ejus, quin alio uniantur vinculo quam unitate entis quod eas experitur; hoc autem ens non assumit eas tamquam

objectum operationis suae, et ideo nullam combinationem earum facit nec transformationem, sed eas in sua relinquit meri facti natura.“ *Revera belluae incapaces sunt reflexionis seu considerationis eorum quae sentiunt; sed si dictio suo modo aliud sibi non vult quam sine reflexione vel consideratione qua fieri possint combinationes vel transformationes, certe non sufficit modus iste ad discernendam conscientiam belluarum ab humana, nam homo tali reflexione circa facta interna non indiget ut certus sit existentiae eorum; sed humanae mentis consideratio, quae versatur circa eorundem factorum naturam, causas et effectus, supponit jam cognitam veritatem facti seu existentiae eorum: et ideo non solum praefata reflexione carent belluae, sed virtute etiam qua homo cognoscit veritatem facti, et certus est de phaenomeni existentia. Jam vero quaestionem de factis internis versamus, quatenus conscientia testimonium reddit existentiae eorum, non de factorum natura et relationibus: de certitudine circa eorundem factorum existentiam dumtaxat inquirimus, quid nempe requiratur ad hanc certitudinem efficiendam: consequenter quod Balmes scribit de carentia reflexionis in brutis, non est medium aptum ad declarandum modum quo sensationes eis intime praesentes fiunt; si enim in hoc tantum dicitur bellua distare ab homine (quoad materiam de qua tractamus) ut non possit phaenomeni naturam et relationes considerare, et non declaratur cujus conditionis sit in utroque intima phaenomeni praesentia, quae a praedicta reflexione praescindit, an scilicet talis sit haec praesentia vel cognitio ut certitudinem pariat de phaenomeni existentia; adhuc solutio quaestionis desideratur, cum versetur ipsa circa causam hujus certitudinis, nec apparet in quo bellua ab homine differat in intima praesentia sensationis. Certe autem in hoc differt quod caret cognitione veritatis facti et consequente certitudine, quoniam lumine caret intellectuali per quod omnis veritas cognoscitur.*

d) De quo quidem lumine haec habet idem auctor: (cap. 15, n. 152) „Evidentia lux intellectualis dici solet: valde opportuna est haec metaphora, et, si placet, valde etiam accurata; sed deficientia laborat omnibus metaphoris communi, quae ex sese parum aptae sunt ad mysteria philosophiae aperienda. Lucem intellectualem etiam in multis conscientiae actibus invenimus. In illa intima praesentia qua operatio aliqua aut impressio spiritui obversatur, ibi etiam adest quaedam veluti lux clara, vivida, quae animae oculum, ut ita dicam, percellit, eamque in ejus quod conspectui suo objicitur, videndi necessitate constituit. Si igitur ad definiendam evidentiam satis nobis est lucem intellectus nuncupare illam, ipsam cum conscientia confundimus, aut saltem hujus confusionis locutione ambigua alii ansam praebemus.“ Igitur ex Balmesii sententia in conscientiae testimonio involvitur lux

intellectualis, cujus virtute anima necessario videt id quod conscientia testatur. Cur autem dicat lucem intellectualem in multis conscientiae actibus inveniri, et non potius in conscientiae actibus sine restrictione, intelligere non possum; nam illa intima praesentia in qua lux intellectualis adest, non distinguitur, iudicio auctoris, ab ipsa conscientia; quare ergo ejusdem lucis praesentia et influxus non sunt asserenda in omni actu conscientiae? eo vel magis quod certitudinem absque luce ipse non admittit, ait enim: (cap. 2, n. 14) „Certitudo quae omni examini praexistit, non est caeca... Quum igitur existentiam certitudinis adstruimus, non loquimur de actu caeco; nequaquam lucem in ipsa origine sua extinctam volumus, quin potius ibi fulgentiorem esse dicimus quam in fluentis suis.“ Sed sive in omnibus conscientiae actibus, sive in multis tantum lucem intellectualem agnoscat, quid erit lux intellectualis, si non est lux intellectus? porro conscientia directa, quam superius ad mentem Balmesii descripsimus, a lumine intellectus praescindit, non solum quia ipsa consistit in intima phaenomeni praesentia ad spiritum, et haec praesentia in ipsius phaenomeni (puta, sensationis) conceptu involvitur; sed etiam quia si de principio contradictionis dubitari supponatur, adhuc firma erit certitudo ex conscientiae testimonio: quid enim lucis in mente remanebit, dempto vel nutante principio contradictionis? si ens confunditur cum non-ente, quaenam veritas erit cognoscibilis? Certe qui aliqua sensatione, puta doloris, afficitur, non potest non sentire, atque etiam, quamvis a lumine intellectus velit abstrahere, non potest ejusdem sensationis certus non esse, ita ut si ad eam velit attendere, de ejusdem existentia sibi liceat dubitare: sed quid inde? numquid intellectus dolentis non operatur, quia illum ipse non operantem supponit? Si intellectus non attendit ad phaenomenon internum, non alia ejusdem phaenomeni conscientia, id est, perceptio esse potest quam sensitiva, quae non est fons certitudinis, criterium veritatis: si vero intellectus attendit, ex sola et simplici applicatione virtutis suae, sine ulla scilicet reflexione, comparatione aut discursu, ad factum internum, certus est de existentia ejus, quoniam illud clare intuetur, in qua certa et evidente facti interni perceptione positum est humanae conscientiae testimonium. Conscientia igitur de qua agimus, est perceptio mentalis phaenomeni interni, seu ejus quod intra nos sentimus, quoad suam tantum existentiam; et hoc satis est ad criterium veritatis, ut quisque per se videt; nec aliud sane requirendum est ad cognoscendam veritatem facti quam ejusdem facti praesentia ad intellectum. Itaque testimonium conscientiae, prout in praesenti eam accipimus, habet pro objecto phaenomenon internum, quod animae praesens per ejus vim sensibiliter perceptivam, apprehenditur per intellectum. Phaenomeni autem

existentia est quod constat per hoc testimonium, non applicatio intellectus ad illud; nam operatio potentiae terminatur in objectum suum, non in semetipsam. In hoc ergo, ut ego arbitror, Balmes deceptus est, quod attendens ad conscientiae suae testimonium, ita secum cogitavit: — id quod intra me sentio, quatenus illud sentio, non possum non sentire, nec possum de illo dubitare, quamvis velim ab intellectus operatione praescindere; — et ideo criterium conscientiae a principio contradictionis independens pronuntiavit: sed non advertit quod in ipso testimonio conscientiae involvitur actus intellectus per quem cognoscimus veritatem facti, id est, phaenomeni quod intra nos sentimus, quique cum sit ipsum testimonium, id est, cognitio veritatis, nequit esse objectum testimonii; et sic explicatur quod sentiens Balmes aliquid fieri intra se, actum intellectus, per quem de phaenomeni interni existentia certus erat, simul non sentiret, id est, non perciperet, nec immediate nec mediante sensibilitate; sicut contingit in visione oculorum, per quam objectum visibile cognoscimus, sed actum visionis non sentimus. Ex eo autem quod actum intellectus phaenomenon percipientis non sentiret, ipsum a conscientiae testimonio ablegavit, sed immerito; nam non omnes veritates facti constant per facti praesentiam ad potentiam cognoscitivam, sed quaedam sunt quae ex alterius facti natura per discursum rationis deducuntur. Sic ergo, quamvis in conscientiae testimonio actum intellectus phaenomenon percipientis non sentimus, ex eo tamen quod de phaenomeni existentia certi sumus, illius actus intellectualis existentiam et necessitatem jure merito inferimus, certitudo namque non obtinet nisi in cognitione veritatis, quae pertinet ad intellectum. Consequenter in testimonio conscientiae a principio contradictionis praescindi nequit; nam verum est id quod est, unde si non percipitur id quod est, non percipitur verum; non autem percipitur id quod est, si non distinguitur inter est et non est; et proinde principium contradictionis in omni est veritatis cognitione implicitum, etiamsi de illo non cogitetur. Falso igitur asseruit Balmes: „Si de principio contradictionis dubitari supponatur, adhuc firma erit certitudo quod male nos habemus quando male nos habemus, etc.“ Ille quidem dubitationem supponebat, at simul non dubitabat, quoniam id quod erat, id est, veritatem facti quod intra se experiebatur, clare percipiebat; nequaquam ens cum non-ente confundebat, sed plane inter utrumque discernebat: nihilominus id quod intra se fiebat, non intelligebat, quia per sensationem, non per rationem judicabat.

e) Ad illud autem quod ipse dicit: „Ad experiendum, et ad certo sciendum nos experiri, et id quod experimur, sufficit nobis experientia ipsa“, respondendum est cum distinctione: si per experientiam intelligatur sensatio passiva, ut dolor, talis ex-

perientia nullius generis conscientia est, nam conscientia non est passio, sed actus cognitionis. Si vero experiri accipiatur pro sensibilibus percipere, sic experientia est utique conscientia ipsa, sed conscientia sensitiva, qualis est in brutis, quae non est fons certitudinis, criterium veritatis. Habetur autem hoc veritatis criterium, seu conscientia cujus testimonium certos nos reddit de interni phaenomeni existentia, si sensibili ipsius phaenomeni perceptioni adjungatur perceptio mentalis, quoniam per intellectum, et non per aliam potentiam cognoscitur omnis veritas. Itaque falsa est sententia Balmesii sic intellecta quod passive et active sentire sufficiat ad nostram de ipsius sensationis existentia certitudinem, ita ut sensatio per se eandem certitudinem gignat in nobis, independenter scilicet a perceptione mentali. Bene vero eadem sententia admitti potest in eo sensu quod data sensatione passiva et activa, seu affectione animae et affectionis perceptione sensitiva, nihil aliud requiritur ut phaenomenon internum fiat praesens intellectui ab eoque percipiatur, siquidem in praesenti vita aliter res non attingit intellectus noster quam media sensibilitate, et ideo oportet ut sensatio fiat praesens ei per semetipsam; nec mirum, cum ad unius simplicis, sensitivae simul et intellectivae animae vitam pertineat. Si ergo, ut concludamus, conscientia cognitio est; si virtus sensitiva non sufficit ad cognoscendam veritatem facti, et consequenter ad certitudinem efficiendam, quia omnis veritas est objectum intellectus; manifestum est quod testimonium conscientiae de qua agimus, constat perceptione mentali per quam cognoscitur veritas facti, et perceptione sensitiva per quam affectio animae fit cognoscibiliter praesens intellectui, juxta illud: nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, ita ut sit in nobis, sicut in belluis, sensibilis perceptio affectionis nostrae, sed insuper perceptio mentalis ejusdem, cujus quidem mentalis perceptionis claritati seu evidetiae certitudo debetur.

f) De instinctu autem intellectuali quid dicemus? Dico quod haec vox instinctus intellectualis implicat in terminis. In intellectu non sunt nec esse possunt instinctus; instinctus enim est inclinatio vel propensio appetitus, quae objecti in quod appetitus fertur, praesentiam supponit per cognitionem. Quod instinctus sit inclinatio vel propensio, probatione non eget, nam e nominis notione est manifestum. Et ex eadem instinctus notione patet ipsum esse inclinationem vel propensionem appetitus; nam inclinatio vel propensio rerum ad ea quae naturae earum conveniunt, vocatur simpliciter eodem nomine inclinationis vel propensionis in entibus cognitione carentibus, dicitur autem appetitus vel instinctus, si est ad ea quae cognoscuntur per sensum. Per sensum, inquam, non per intellectum; nam intellecta non appetantur per instinctum, sed per voluntatem, nec unquam voluntatis motus est instinctivus.

Natura animalis ideo instinctu a Deo instructa est, ut animal rerum essentias et relationes non cognoscens, noxia pro utilibus non accipiat, sed naturali necessitate feratur in ea quae sibi sunt convenientia: hic porro motus instinctivus supponit cognitionem rei appetibilis, sed non provenit ex cognitione; nam animal utique inclinatur per instinctum ad ea quae fiunt ei praesentia per cognitionem sensitivam, sed cum apprehendens per sensum rem appetibilem, non apprehendat simul motivum appetitionis, quia hoc pertinet ad intellectum, ideo motus instinctivus praerequirit cognitionem tamquam conditionem simpliciter ut objectum appetibile fiat praesens animali, sed non provenit ex cognitione, quia per sensum non apprehenditur appetitionis motivum; propter quod hanc naturalem necessitatem seu inclinationem instinctivam, ut supra dixi, Deus animali providit, ut natura ejus per se feratur ad sibi convenientia. In hoc ergo essentialiter differt voluntas rationalis ab appetitu sensitivo, nam voluntas essentialiter pendet ab intellectu, id est, a cognitione boni seu motivi appetitionis; unde omnis instinctus a voluntate rationali est ablegandus, quia ipsa non operatur per determinationem passivam naturae, sed per determinationem activam proveniente ex cognitione boni: et si in voluntate creata invenitur aliquis motus mere naturalis, qualis fuit ille quo angeli omnes, boni et mali, ut docent theologi, Deum amaverunt, quamvis sine merito, in principio existentiae suae, talis actus dicendus est mere naturalis simpliciter ob defectum deliberationis, sed non instinctivus, cum sicut omnes actus voluntatis procedat ex cognitione boni per intellectum; necessitas autem qua in hujusmodi actu voluntas movetur, est necessitas omnis potentiae respectu objecti sui, non vero effectus praedispositionis aut passivae praedeterminationis naturae, quae cognitionem supponere non potest nisi tamquam meram conditionem ad praesentiam objecti appetibilis, in quo cognitionis genere objectum apprehenditur quidem, sed materialiter tantum, secus atque in cognitione intellectuali per quam apprehenditur sub ratione boni. Itaque duplici ex capite erroneum est ponere instinctum in intellectu, nam instinctus et cognitionem praesupponit, tamquam propensio ad aliquid jam cognoscibiliter praesens, et ideo ad facultatem appetitivam debet pertinere, non ad cognoscitivam; et proprius est naturae animalis, nequaquam vero spiritualis, ut satis ostensum est. Nihilominus videamus quodnam est juxta Balmes munus instinctus intellectualis, et fundamentum necessitatis ejus.

g) „Instinctus iste intellectualis“, ait lib. 1, cap. 15, n. 156, „pro plurimis valet objectis ordinis longe diversi: est, ut ita dicam rationis dux et praesidium: dux quidem, quoniam illi praeit monstrans viam veram per quam incedat, antequam ipsa agere incipiat; praesidium vero, quatenus per eum ratio a propriis libe-

ratur cavillationibus, sensus communis virtute sophisma dissipante.“ Quid est quod ratio instinctus ductione indiget? porro qui indiget duci ab alio, nescit qua sibi incedendum sit: aliunde instinctus est caecus, est enim inclinatio vel propensio, in qua nihil est lucis, sed luce intellectuali indiget, et eam quidem supponit, vel in ipso agente vel saltem in Auctore naturae, ut per eam recte dirigatur: si autem caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt; nisi dicatur quod homo seipsum non dirigit, sed dirigitur tantum ab Auctore naturae, et omnia ex necessitate agit per instinctum; et sic negatur ei intellectus et libertas. Deinde quare ratio per instinctum a propriis cavillationibus liberatur? Si homo per instinctum ducendus est, certe cavillationibus non erit locus, quia ratio ipsa e medio tollitur, qui enim operatur per instinctum, operatur ex necessitate, quatenus a natura ipsa inclinatur spontanee ad ea quae sibi conveniunt. Homini autem ratio donata est ut per eam seipsum dirigit, non per instinctus nec spontaneitates; ratio autem sibimetipsi dux est, et propria virtute sua intellectiva errores detegit fallaciasque sophismatis. Et sane, numquid Logica non docet quaenam sunt vitia argumentationis? quis autem Logicam nisi ratio humana creavit? Quoad judicia vero evidentiae immediatae haud possibiles sunt cavillationes, nisi in amente aut stulto. Ad quid ergo opus est instinctu, si quoad immediate evidentia in quibus mediate evidentia fundantur, cavillationes non sunt; et quoad ea quae demonstratione indigent, ratio cavet a sophismate per regulas recte ratiocinandi quas Logica tradit? Quid praeterea quod in iis quae demonstratione indigent, homo saepe fallitur? numquid falli posset, si per instinctum veritati adhaereret? Sed ecce quae circa hoc. habet Balmes: (num. 157) „Non hic vertitur utrum instinctu intellectuali quandoque decipiamur, quibus in casibus, et qua de causa; solam ejus nunc intendo constabilire existentiam: quoad errores autem in quos nos inducit, satis habeo animadvertere quod in ente fragili qualis est homo, frequentissime regula flectitur; et sicut possibile non est bonum sine mali admixtione in eo invenire, ita neque verum sine admixtione erroris.“ Igitur etiam instinctus intellectualis, quandoque saltem, juxta Balmes in errorem nos inducit: quomodo autem constabit nobis quando per eum decipiamur, quando vero secus? Si ille est primum criterium respectu omnium veritatum quae conscientiae objecto non continentur; si non habet supra se aliud criterium, quodnam, quaeso, erit medium discernendi quando per eum non decipiamur? Et primo adeo nutante fundamento, quaenam erit firmitas aedificii humanae scientiae? Quod autem attinet ad comparisonem quam instituit Balmes, boni et mali cum veritate et errore, advertendum est quod in fundamentalibus numquam deest in homine nec veritas in ordine intellec-

tuali nec bonitas in morali; id est, quod sicut non est possibilis deceptio quoad principium contradictionis, sic etiam necessaria est inclinatio ad bonum in genere. Itaque cum instinctus intellectualis adstruatur a Balmesio tamquam primum criterium seu tamquam fundamentalis respectu humanae scientiae, comparatio illa boni et mali cum veritate et errore ad rem non pertinet.

h) Sed expendamus jam argumenta quibus Balmes instinctus intellectualis necessitatem suadere conatur, incipientes a cognitione rerum per sensus. Ait Balmes cap. 15, n. 158: „*Sensationibus realitatem respondere objectivam, si res diligenter consideretur, nonnisi vi cujusdam instinctus agnoscimus, cui resisti nequit. Nihil apud philosophiam certius, nihil evidentius quam omnem sensationem esse aliquid subjectivum, id est, sensationes esse phaenomena immanentia, seu quae intra nos sunt et foras non prodeunt; et tamen nihil magis constat quam transitus omnium hominum a subjectivo ad objectivum, ab interno ad externum, a phaenomeno ad realitatem.*“ Verum quidem est omnem sensationem esse in subjecto, id est, in animali, et ita ipsi inesse ut ad vitam ejus pertineat; sed de sensationis immanentia cum distinctione loquendum est. Non est cur dicatur sensationem passivam esse absolute immanentem, nam omnis passio necessario manet in subjecto quod ipsa afficitur, et non transit ad aliud, non enim habet objectum sui sicut actio, sed subjectum dumtaxat et causam; et ideo actio utique, non vero passio, dividitur in immanentem et transeuntem. Sed modo quaestio non est de sensatione passiva, quae cognitionis actus non est, sed objectum; agitur enim de cognitione sensitiva, quae est sensatio activa, et per quam, ait Balmes, non potest nobis constare realis existentia corporum, de qua certi reddimur, ut ei placet, per instinctum: et nihilominus asserit ipse loco citato sensationes (non distinguendo inter activam et passivam) esse phaenomena immanentia; assertum hoc assumens tamquam medium argumenti sui; nomine autem phaenomeni, loquendo de sensationibus, significat id quod intra nos sentimus, id est, sensationem passivam, nam cognitio sensitiva non est sensationis objectum; et sic nihil probat dum dicit ideo per sensationem non posse nobis constare de realitate objectiva ipsi respondente, quia sensatio est phaenomenon immanens, nam ex eo quod sit immanens passio sensibilis, non sequitur rem externam non esse terminum (objectum) sensationis activae seu cognitionis sensitivae. Si dolorem ego sentio, quatenus dolorem patior, nihil cognosco, cognoscere enim est agere, non pati; sed utique cognosco quatenus doloris affectionem percipit anima. Jam vero dolor est id quod in me experior, quodque nomine phaenomeni designat Balmesius: consequenter sensationis notionem ipse corrumpit, dum eam phaenomenon immanens esse dicit, cum

ipsa, in genere accepta, non in solo phaenomeno seu affectione quam experimur, consistat, sed actum etiam cognitionis comprehendat. Si autem sensationem consideremus ut activa est, seu secundum actum cognitionis, sic duplex distinguendum est objectum ejus in subjecti affectionibus, affectio nempe ipsa et causa ejus. Si dolorem v. g. ex flagellatione sentio, non modo dolorem ipsum sensibiliter percipio, sed causam quoque ejus externam, nempe impressionem quam in corpore extrinsecus recipio, una cum flagellationis instrumento: utraque autem sensibilis perceptio est immediata eo ipso quod sensibilis est, nam transire ab eo quod cognoscitur per se, ad id quod cognoscitur per aliud, non pertinet ad sensum sed ad intellectum: cognoscitur autem dolor sensibiliter per seipsum, quoniam est affectio vitalis; pariterque impressio sensibilis quae ex actione causae externae recipitur in tactu, nam si haec impressio non esset affectio vitalis, etiam non esset impressio sensibilis. Non ergo adest in casu transitus a perceptione doloris ad cognitionem impressionis extrinsecus receptae; nam dolor, cum sit passio, potest quidem esse et revera est objectum cognitionis, sed ipse in se non est cognitio; et ideo sensatio doloris in doloris affectione et perceptione sensitiva consummatur, quin per dolorem ipsum aliquid de re externa sensibiliter cognosci queat; quin et passio doloris separabilis est non solum ab impressione rei externae, sed etiam a speciali sensatione tactus, quae est sensatio contactus seu resistentiae corporum, nam potest provenire a causa corpori nostro intrinseca, et quin producat passiva sensatio resistentiae vel contactus, ut experientia constat. (Vtique passio doloris, sicut omnis sensatio passiva, de sensatione tactus aliquid participat sub ratione sensibilis impressionis; sed impressio sensibilis in genere non est confundenda cum sensatione resistentiae, per quam sensatio tactus a reliquis sensationibus passivis specie distinguitur.) Impressio autem sensibilis quae in casu flagellationis extrinsecus recipitur in tactu, cognoscitur sensibiliter per semetipsam, quoniam et ipsa, abstrahendo a dolore, est vitalis affectio quae medio tactu producit, et per se fit praesens animae; propter quod dari potest sine dolore impressio sensibilis in tactu. Nec dicatur quod in casu flagellationis fit saltem transitus ab affectione vitali quae est passiva sensatio tactus, ad rem externam et actionem ejus in corpus nostrum, seu ad percussorem tamquam ab extrinseco procedentem et ad percussorem instrumentum; nam rem externam vere sentimus, quod autem sentitur, immediate cognoscitur; transitus ergo non habet locum. Rem, inquam, externam vere sentimus, quia sentimus contactum; et haec praecise est vitalis affectio in qua consistit specialis sensatio tactus, in eo quippe consistit quod sentiatur corporum resistentia, et proinde communicatio seu contactus

corporis animalis cum alio corpore a quo illud aliquam patitur impressionem. Et pergamus jam breviter respondere ad id quod addit ipse Balmes de philosophis eminentioribus circa transitum in sensatione. „Quodnam est,“ inquit, „hujus transitus fundamentum? Cum eminentioribus philosophis tam difficile fuerit pontem, ut ita dicam, invenire qui has duas jungit oppositas ripas; cum aliqui eorum, inquisitionem hujus rei tandem moleste ferentes, absque haesitantia inventionem illam impossibilem dixerint, numquid illud poterit communitas hominum ab ineunte aetate?“ Profecto communitas hominum pontem illum numquam inveniet, quia nec inquireret in eum, siquidem de transitu nihil cogitat, sed in certitudine quiescit existentiae rei externae vel in evidentia cognitionis ejus. Inquisitio de qua Balmes, philosophi est, non vulgi; majorem autem vel minorem hujus inquisitionis molestiam suus cuique affert peculiaris philosophandi modus. Quidquid vero sit de eminentia philosophorum, ad quos Balmes alludit, transitum praefatum in sensatione agnoscentium, non desunt alii philosophi, haud inferioris nominis, qui transitum istum non docent, sed cognitionem rei externae per sensum. Caeterum quiqui tandem sint philosophi illi, nihil suis ratiociniis confecerunt, si ex facta a nobis rei discussione judicandum est. Et jam ad aliud punctum veniamus.

i) „Instinctum intellectualem nuncupavi,“ ait Balmes n. 155, „impulsum istum certitudinis nostrae efficacem in multis casibus absque testimonii sive conscientiae sive evidentiae interventu. Si monstretur alicui scopus in quem collimet, cujus diameter mensurae pollicis unciam non superet, et mox calabricentur oculi ejus, et postquam in casum sit iterum atque iterum circumactus, ponatur arcus in manu ejus ad sagittandum, proque certo asseratur sagittam perexiguo scopo praecise defixum iri; respondebit hoc esse impossibile, neque tale deliramentum aliquis illi persuadere sufficiet. Et qua de causa? innititurne testimonio conscientiae? nequaquam, agitur enim de objectis externis. An vero evidentiae? etiam non, nam hujus objectum sunt res necessariae, nulla autem est intrinseca impossibilitas in eo quod sagitta scopum attingat.“ Circa hanc speciosam difficultatem notetur primo quod Balmes ex una parte supponit certum esse quod in casu proposito sagitta scopum non attinget, ex alia vero agnoscit nullam esse intrinsecam impossibilitatem in eo quod sagitta scopum attingat. Sed quaero: quam impossibilitatem nomine intrinsecae significare intendit, metaphysicam an physicam? eventus enim metaphysice possibilis potest esse simul impossibilis physice: sic si omnibus pateat quod distantia scopi a sagittante congrua non est pro arcus potentia, aut quod corpus est interpositum quod sagittae cursum impedit, omnes pariter eventum de quo agitur, impossibilem dicent et

intelligent secundum physicas naturae leges, quamvis possibilem agnoscent metaphysice vel per miraculum. Balmes autem non loquitur in hac suppositione, sub qua sane ad rem non faceret exemplum; sed data congrua distantia, et nullo exstante obstaculo, hac de causa impossibilem dicit eventum, quod nempe scire nequit sagittans quo arcum tendere oporteat ut sagitta ad scopum dirigatur: verum ex hoc sequitur dumtaxat nullam esse probabilitatem obtinendi effectum, minime vero ipsum esse physice impossibilem; multa enim ex physicis actionibus hominum praeter intentionem eveniunt, quae ideo fortuita dicuntur, et tanto magis ut talia habentur, quanto magis in casum actus eliciuntur, seu minus ad determinatum effectum ordinantur, et major est numerus effectuum physice possibilem. Quare si in casu proposito supponamus quod quocumque sagitta projiciatur, in corpus aliquod ab ea penetrabile necessario est offensura, certum erit quod in punctum aliquod ex innumeris corporum in circuitu exstantium sagitta defigetur, simulque nulla erit probabilitas, sicut de scopo dictum est, quod in aliquod ex eis determinatum, ne in ipsum quidem in quod offendet, sit offensura: itaque cum eadem ratio sit pro puncto isto ac pro scopo de quo agitur, sicuti et pro singulis punctis reliquis, patet quod licet nulla erit probabilitas, possibilitas tamen physica utique erit quod sagitta scopum attingat. Si ergo Balmes solam possibilitatem metaphysicam eventus admississe supponatur, manifestum est quod erravit, nam evidens est possibilitas ejus physica: si autem admisit et physicam, sibi contradixit, ista quippe admissa, nequit haberi certitudo non obtinendi effectus quem certo non obtinendum asseruit. Itaque exemplum adductum nullius est efficaciae ad sententiam Balmesii de instinctus necessitate suadendam.

1) Sed alia praeterea mihi videntur improbanda in eodem Balmesii argumento. „Quodnam igitur,“ subjicit ipse, „est fundamentum intimae persuasionis pro sententia negativa? Si supponamus hominem istum nihil scire de theoriis probabilitatum et combinationum, scientiae hujus vel ipsam ignorare existentiam, nec de talibus umquam cogitasse; non erit minor certitudo ejus, quamvis e nullius generis calculo poterit eam deducere: aequalis erit omnibus circumstantibus, rudibus aut cultis, ignaris aut doctis: omnes repente, quin opus sit reflexione, dicent aut secum putabunt: hoc est impossibile, hoc non eveniet. Quo, iterum dico, nititur fundamento tam firma eorum persuasio? Sine dubio, cum neque ex conscientia oriatur, neque ex evidentiā immediata aut mediata, aliud esse nequit principium ejus quam interior illa vis quam instinctum intellectualem appello, quamque indifferens mihi est sensus communis nomine aut alio quolibet designari, dummodo rei agnoscat existentiā.“ Ecce quam vocat firmam persuasionem,

ideo instinctui adscribit quia obtinetur, ut ipse autumat, absque testimonii sive conscientiae sive evidentiae interventu: sed considerandum est quod veritates omnes quas cognoscimus, ad duo genera revocantur, ordinis nempe idealis, quas Balmesius evidentiae assignat tamquam objectum ejus; et ordinis realis, quae nobis internae sunt vel externae, et per conscientiae vel sensuum testimonium respective nobis constant: si ergo id quod in casu adeo omnibus persuasum dicitur, neque per sensus cognoscitur, agitur enim de eventu futuro; neque per conscientiam, neque per evidentiam, nescio ad quod genus veritatum possit illud pertinere. Certe res de qua agitur, non est objectum conscientiae, quia non est factum internum: sed quare non evidentiae? an quia omnes, etiam illi qui ignorant theorias probabilitatum et combinationum, repente, quin opus sit reflexione, judicium efformant? Numquid apti non sunt ita de certis aut probabilibus vel improbabilibus judicare nisi qui dictis theoriis operam dedere, ut ad instinctum pro ignaris recurrendum sit? nonne ratiocinantur et ignorantes theoriaram ratiocinii? similiter ergo et ignorantes theorias probabilitatum et combinationum, quid certo eveniet aut non eveniet, quid probabiliter sit aut non sit futurum, valent plerumque, et quidem repente, quin opus sit reflexione, judicare, virtute scilicet principii causalitatis, et ex habituali cognitione dependentiae multorum effectuum a suis causis, aut ex frequenti usu vel applicatione causarum. Multae profecto sunt veritates evidentiae mediatae, ut Deus est, parentes sunt honorandi, quibus mens cujusque hominis sine discursu, id est, repente seu sine reflexione adhaeret, eo quod non sint detegendae, sed jam habitualiter notae atque intellectu facillimae; et idem dicendum est de multorum effectuum dependentia a certis quibusdam causis, data enim hujus dependentiae habituali cognitione, et notitia certa alicujus causae realis in determinatis adjunctis, nullo negotio explicatur repentinum de effectu sive certum sive probabile judicium virtute evidentiae, ad talis quippe judicii conceptionem sufficit dependentiam illam quae habitualiter est in mente, in rebus ipsis sive internis sive externis per conscientiae vel sensuum respective testimonium verificatam intueri. Itaque in casu proposito distinguendae sunt cognitio experimentalis eorum quae subsunt observationi sensibili, et cognitio ordinis idealis principio causalitatis innixa, qua sensibilia inter se comparantur; et hujus comparationis virtute de eventus improbabilitate (non impossibilitate) fertur judicium. Consequenter necessitas instinctus intellectualis pro hujusmodi casibus omni prorsus fundamento caret.

m) „Testimonium auctoritatis humanae“ ait n. 157, „individuo ac societati adeo necessarium, medio instinctu quodam intellectuali nostrum extorquet assensum. Homo credit homini, credit societati,

antequam de motivis cogitet fidei suae; pauci ea expendunt, et fides nihilominus est universalis.“ Sed quid, quaeso, est auctoritas humana tamquam criterium veritatis? nihil aliud sane nisi scientia et veracitas nobis loquentium: scientia igitur et veracitas eorum qui de re aliqua nobis testimonium perhibent, motivum assensus nostri constituunt. Itaque si absque motivo et per instinctum, ut Balmesio placet, credendum est quod nobis dicitur, jam auctoritas humana e censu criteriorum veritatis erit expungenda. Praeterea si assensus est per instinctum seu sine motivo, necesse erit cuilibet loquenti credere, siquidem nulla est ratio cur uni fides habeatur et non alii, aut uni magis quam alii; nequaquam vero ita fit, sed quandoque assensum praebemus, quandoque vero illum suspendimus aut negamus: plerumque autem verum supponimus testimonium, quamvis de ejus veritate certo non constet, et sola veritatis probabilitate contenti sumus, quoniam si semper certitudo exigeretur, impossibilis redderetur hominis vita socialis. Jam vero quomodo differentiae istae explicantur, nisi quia aut nullum apparet assensus motivum, aut motiva quae adsunt, parvae aut magnae sunt efficaciae ad persuadendum?

n) Denique quoad ordinem idealem docet Balmes necessarium esse quemdam instinctum intellectualem ut certi simus rem talem esse in ordine objectivo qualem in mente habemus. „Conscientia,“ ait n. 232, „testatur nobis videre nos ideam unius rei in alterius idea contentam; in hoc specie tenus tantum est veritas: testimonium istud exprimi posset per hanc formulam: sic mihi videtur, significando phaenomenon pure subjectivum. Huic autem phaenomeno instinctus quidam intellectualis adjungitur, impulsus naturae cui resisti nequit, quo inclinamur ad assentiendum veritati relationis,“ (inter praedicatum et subjectum) „non modo quatenus haec in nobis existit, sed etiam quatenus est extra nos in ordine pure objectivo sive realitatis sive possibilitatis.“ Conscientia igitur testatur nobis, juxta Balmes, et hoc reapse experimur, videre nos ideam unius rei in alterius idea contentam, v. g. in conceptu totius conceptum majus parte; et cum conscientia sit criterium infallibile veritatis, certi sumus visionis ipsius intellectualis. Ait autem Balmes in hac visione veritatem non esse nisi specie tenus, id est, quod subjecto videtur tantum, virtute ejusdem visionis, non vero certe constat rem talem esse in ordine objectivo qualem habet in mente. Verum haec sententia multis de causis rejicienda est. Et primo quidem scire Balmes nequivit per conscientiae testimonium in visione intellectuali de qua agimus, veritatem non esse nisi specie tenus, si enim hoc Balmesio conscientia renuntiavit, quare non et aliis philosophis qui hoc Balmesii assertum non admittunt? siquidem conscientiae testimonium debet idem esse in omnibus. Praeterea quod conscientia testatur, nequit disputationi

esse obnoxium. Sed quid est quod in casu conscientia testatur? non aliquid profecto quam clara cognitio rei: qua ergo ratione dicitur veritatem ex solo conscientiae testimonio non adesse in tali cognitione nisi specie tenus? non alia sane de causa nisi quia confunditur objectum ideae vel cognitionis cum objecto conscientiae, quod est ipsa idea, et ideo solam vidit Balmes ideae subjectivitatem, quia conscientiae testimonium subjectiva tantum respicit. Ideae nostrae sub triplici possunt conceptu considerari: secundum veritatem existentiae suae, secundum suam naturam, et secundum repraesentationem rerum quas cognoscimus, seu secundum suam veritatem objectivam. Conscientia testatur quidem factum internum, sed de natura et relationibus ejus non judicat: constat igitur nobis ex conscientiae testimonio veritas facti interni secundum suam existentiam, et nihil amplius; scimus nimirum per hoc testimonium nos cogitare quum cogitamus; utrum vero quod cogitamus, verum sit aut falsum, non conscientiae, sed rationis est judicare aut simplicis intelligentiae, prout res mediate vel immediate cognoscatur, et semper virtute evidentiae, salvo tamen auctoritatis criterio quando ejus habenda est ratio. Vnde de veritate objectiva idearum nostrarum habere non possumus ex solo conscientiae testimonio neque certitudinem neque opinionem, quoniam objectivitas idearum non est conscientiae objectum; et consequenter concludendum quod vel argumentum Balmesii vitio laborat ignorationis elenchi ponendo pro objecto conscientiae quod ad eam non pertinet; vel gratis ipse asserit per ideas mentis non constare nobis de veritate rei, siquidem hanc unam sui asserti rationem affert: „Conscientia testatur nobis videre nos ideam unius rei in alterius idea contentam: in hoc specie tenus tantum est veritas;“ quid enim sibi volunt verba haec? si ad conscientiam non pertinet de idearum objectivitate judicare, nihil sequitur, respectu objectivitatis ejusdem, ex eo quod earum veritas objectiva non constet ex conscientiae testimonio. Si vero ad id quod conscientia testatur, attendamus, invenimus cognitionis claritatem: quid ergo? cognitio est clara, et non cognoscitur veritas nisi per instinctum? cognoscitur igitur veritas, et non cognoscitur per cognitionem? aut instinctus est etiam cognitio, et sic in uno actu cognoscitivo duae sunt cognitiones? Aut forte datur cognitio sine vero, ut necessarius sit instinctus ad possidendum verum? numquid datur cognitio sine cognito? numquid cogitabile est quod non est possibile?¹⁾ nonne autem omne possibile est verum? Jam vero, quid sunt ideae, si aliquid non repraesentant? et si verum est id quod aliquid est, quid repraesentant, si non repraesentant

¹⁾ De rerum repraesentatione in animo hoc intellige, secundum proprias formas earum.

verum? Nescio quid esse possit ordo objectivus, si ad eum non pertinet cognitionis objectum.

o) Videant igitur, qui instinctus theoriam profitentur, quam exitialis ipsa foret scientiae si praevaleret; sed nequaquam sanioris mentis philosophis illa probatur. Exitialis, inquam, foret, quoniam in ordine speculativo scepticismo favet; si enim veritas rerum, citra conscientiae testimonium, constare non potest nisi per instinctum, id est, naturae impulsus, cum natura eadem sit in omnibus, aut omnis error est impossibilis, et sic vera erunt judicia contradictoria, aut numquam sumus ab errore securi, in iis omnibus scilicet quae intra conscientiae ambitum non continentur. E scepticismo autem quid nisi effraenata licentia consequitur in ordine practico? Nec minus improbandum censeo conscientiae testimonium a principio contradictionis independens pronuntiare; nam testimonium istud, si non est cognitio veri, etiam non est criterium veritatis vel causa certitudinis, sed reducitur ad perceptionem sensibilem sensationis passivae, quale est in brutis: nequit autem esse cognitio veri nisi per lumen intellectus discernentis ens a non-ente, nam omnia sive ordinis idealis, sive realis, cognoscuntur ab intellectu sub ratione entis; et consequenter in testimonio conscientiae, sicut in omni veritatis cognitione, principium contradictionis latet implicitum, id est, in actu exercito applicatur, licet de eo non cogitetur.

p) Certitudo itaque, ut ex ipsa sui notione liquet, ad ordinem pertinet cognoscitivum, id est, intellectualem, et est proprietas cognitionis ipsius, quatenus luce vel claritate qua res cognoscitur, fit ut quietetur intellectus, suum jam assecutus objectum, et in possessione veritatis maneat securus. Porro causa inquirendi veritatem desiderium est illius cognoscendae: eatenus autem desideramus cognoscere, quatenus ignorantia nos laborare intelligimus, nam ex cognitione intellectuali, et non aliunde, movetur rationalis voluntas, alioquin rationalis non esset, sed instinctive moveretur ut merus appetitus animalis. Si ergo ex cognitione vel consideratione intellectus movet voluntas intellectum ad inquirendum ob desiderium cognoscendi veritatem, manifestum est quod etiam ex iudicio intellectus cessat voluntas ab eo movendo, quatenus per cognitionem veritatis quae ignorabatur, expletur voluntatis desiderium. Non autem expletur voluntatis desiderium nisi per certam veritatis possessionem. Ergo alia non est causa certitudinis quam evidentia cognitionis, sive evidens sit ipsa res cognita, sive motivum ob quod illa agnoscitur vera.

(Continuatur.)
